

prii sudoris mercedem accipit. Te autem videns pauper-
culum, nihil accipere a te volo nisi panem promissum et
cibum de olla — si quid tamen habet dulcoris, meliorique
consilio et unum postulo.

A. Quid utique? aurumne petis, vel lac quaeris?

M. Lac mihi fuit semper amabile, quod similiter et
hactenus; sed nomen tui lactis exaudiens oblitus sum quod
poposceram. Tu autem *ΑΔΗΛΦΗΠΙΤΟC*^a, curre ad eccle-
siam flectensque genua deprecare dominum saphan et
phane, id est salvatorem mundi, pro communi salute, et
cantatis ibidem psalmis accelera ac curre ad pullunarium^b
petens alatilia et para utrisque ad comedendum. Pede
utique inpegi cacabum fregique, et in cinerem cibum, qui
intus fuit, redegisti.

A. Id ipsum, *ΔΙΑΚΚΑΔΟC* amande, et ego cogitavi;
sed quia tui amoris non erat carnem comedere deliciasve
amare, et ideo hoc dimisi. Parassem utique tibi cervinum
et aperinum^b delphinumque^b cibum, si tuam voluntatem
conicere potuissem. Sed pinguis ornix^b modo parata est;
tu autem iuxta morem tuum comede quantotius.

M. Cur me fatigas cum tuo edulio? Nondum tibi
aperui, quod poposci. Sed nec quidem te illius rei curio-
sum credo: nihil utique interrogas, quae peterem^c vel quod
vellem. Dixi^d enim de nomine et pronomine et verbo aliis-
que de partibus, quantum nunc potui; sed de voce et
littera et sillabis, de pedibus et accentibus dicere volui
sed^e hoc in aliud tempus reservari mecum decrevi.

A. Quid utique, pater, quid tibi est, quare irascaris?
et cur animum tuum contristaris? aurum obrizum, si cupis,
dabo; argentum igne coctum, si desideras; marsupium
tuum implebo: tantum, obsecro, ut blanda facie dicas,
quod obstat.

M. Nihil enim contrarium in tua loquela habeo; sed
quecumque dixeris et deprecatus fueris, agere haud de-
sisto. In specie enim auri seu argenti numquam delec-
tatus sum; sed preces et orationes tuae amabiliora^b sunt
mihi, ut pro utriusque sospitate orare non cesses^f, qua-
tinus hic et in futuro gaudere simul mereamur per eum,
qui vivit et regnat deus per infinita seculorum secula.

a) Soll viell. = ἀδελφότητος sein; ein unverständenes Glossenwort.

b) So die Hs. c) 'petem' die Hs. d) 'Dixi/' die Hs. e) Vor
'hoc' ist in der Hs. 'in' radiert. f) 'cessas' die Hs.